



DE
S V D O R I S
S V B C A L O R E F E B R I L I
M I N V S S A L V T A R I E R V P T I O N E

BENIGNITER ANNVENTE SVPREMO NVMINE
 EX AVCTORITATE GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
 IN REGIA FRIDERICIANA

P R A E S I D E
D. ANDREA ELIA BŪCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
 POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS,
 MEDICINA ET PHILOSOPH. NATVR. PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
 FACVLT. MEDICAЕ SENIORE, REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,
 IMPERIALIS ACADEMIAЕ NATVRAE CVRIOSORVM PRAE-
 SIDE, ET REGIAR. SOCIET. SCIENTIAR. ANGLICAN.
 BEROLINENS. ET MONSPELIENS. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS

SOLLEMNITER CONSEQVENDO

DIE XX. APRIL. A. R. S. CI^o ID CCLXV.

H. L. Q. S.

PVBLINE DISPVTABIT

AVCTOR

IOANNES CHRISTIANVS WICHVRA,
 BICINA-SILESIUS.

HALAE AD SALAM

STANNO CVRTIANO,



85
DE
S A D O R I S
S A B C A T O R E T R U B R I T I
M I N A S A L V A T R I E R U P T I O N E

E X V A C T O R I A T A Q U A D R O M I C O Q U A M O R D I N A
I N N D E A R H D E R C I V I N A

P R A X I S I B I
D . A N D R E A E L I A B C H I N E R G O
S A C C I O M A L I T I M A T I I N O D I T I
T O T T I N T I S I A P R I S S A E R E I S A C O N S I S T A S I N T I M I S
M I D C I N A E T A T I N T O S O N H I N T A R I D R O L E S F A L T O R D I N A R I O
T A C U T M I N I S A E S E N D O R G E T I C I O R A T A T A M O R K U R A P A D E S
M I L I T A R I A V A D A H I E R E T A T A R A T E C A V A I S C U R A V A
T A D E T T A G I A R A T O D E R E K I D I N I A R A M I C R A
P R E R O M I N G I N T A M O R S T A T A N A C O D A R L E

P R O G R A D A D O C T O R I S

C O L L E G I A T I R C O N S I S T A S I

T I S E X X I I I . A . T . A . C O D I C U M

I N D E P E N D E N T

T H E O D O R I S

A U R U M

I O V I N E S C H R I S T I A N A W I C H A R Y

B I G I N A - S A L T E R Z A S

H A R M A S A L V A T R I

E C C L E S I A T E

VIRO
EXCELENTISSIMO EXPERIENTISSIMO DOCTISSIMOQUE
DOMINO
**CAROLO BENAMIN
COCHLOVIO,**
MEDICINAE DOCTORI ET PHYSICO CIVITATIS CREVTZ-
BERGENSIS HVIVSQVE TRACTVS DIGNISSIMO,
PATRONO FAVTORI
ATQVE AVVNCVLO SVO
AETERNA MENTIS REVERENTIA SVSPICIENDO;
NEC NON
VIRO
EXCELENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO DOCTISSIMOQUE
DOMINO
**JOANNI GEORGIO
MAIDELOHN,**
MEDICINAE DOCTORI LONGE CELEBERRIMO
PRACTICO BICINENSIVM FELICISSIMO,
PATRONO ET FAVTORI SVO
OMNI PIETATIS CVLTV
AETERNVM DEVENERANDO,

OPTIMO HVIC DVVMVIRATVI
PAGINAS ISTAS ACADEMICAS
STVDIORVM SVORVM PVBLICVM SPECIMEN
IN PVBLICAM TESTIFICATIONEM
REVERENTIAE ET GRATI ANIMI
SVIQVE VLTERIOREM COMMENDATIONEM SACRAT
ATQVE INTER FERVIDISSIMA VOTA
PRO PERENNITATE SALVTIS
D. D. D.
JOANNES CHRISTIANVS WICHVRA,
BICINA - SILESIUS.



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
S V D O R I S
S V B C A L O R E F E B R I L I
M I N V S S A L V T A R I E R V P T I O N E .

P R A E F A T I O .

Criticis febrium excretiones dignissimas es-
se, quae a Medico, in Prognosi febrium
formanda occupato, attendantur, adeo
clara est res, ut ipsis tironibus iam innotuerit; inter
vero illas sudoris maxime rationem babendam esse,
vel ex eo patet, quod sine eo aut nunquam, aut ra-
rissi-

A 3

riſſime febres ſalutarem nanciſcantur euentum. Tan-
ta haec ſudoris febrilis dignitas procul dubio cauſa
fuit, qua factum eſt, ut inde ab omni ferme Medi-
cinae aetate eo ſumma cum cura anniſi ſint Medici,
ut ex quantitate, qualitate, excernendi modo, etc. ſu-
doris in febribus ſalubris et insalubris ſigna deprome-
rent, eaque poſtmodum posteritati et aeternitati tra-
derent. Quum interea minus de ſudoris, ſub calore
febrili erumpentis, insalubritate dictum ſit; non abſ-
que re eſſe putauī, ſi in academico hocce ſcripto de eo
verba facerem eiusque noxas oſtenderem. Triplici
hoc veroratione perſicere annifus ſum. Docui primo,
cauſas huius ſudoris eſſe insalubres; demonstravi ſe-
cundo, illius effectus, cum natura febrium compara-
tos, minus eſſe ſalutares; comparaui tertio naturam
eiusmodi ſudoris cum iis momentis, quae Veteres ad
ſalubritatem ſudoris febrilis requirebant, ut inde pa-
reſcat, haec in ſudorem, ſub calore febrili ſubnat-
um, nullo quadrare modo. Subiunxi tandem practica
nonnulla. TV L. B. meis conaminibus faue!

§. I.

§. I.

Dispersa per cellulosa subcutaneam vasa sanguifera, tam arteriosa, quam venosa, cutis demum compagem passim adeunt, in minores ibi ramulos sensim diuidenda. Fluidum, truncis ipsis arteriosis, vel remotioribus etiam a cellulosa subcutanea arteriis impulsum, roris instar ab omni epidermidis ambitu toties fere exsudavit, quoties periculum factum est. Dubitare itaque non poteris, vasa sanguifera arteriosa, per cellulosa prius disseminata curimque ingressa, in minima denique vascula abire, quorum patula ostia in epidermide hiant.

§. II.

Vascula illa, ex arteriis cutaneis oriunda (§. I.), non poterunt non secretoria esse (per Phisiolog.). Quoniam autem et peruria sunt, testante id experimento allato (§. ant.), et exteriora versus finiuntur (§. cit.): sequitur, haec vascula tenuioris fluidi secretioni et excretioni inservire, quae, quod in cute fit, excretio vocatur cutanea. Excretio cutanea, quae sensibus vix percipi potest, perspiratio insensibilis nuncupatur, quae, maiora capiens augmenta, in madorem et sudorem abit.

§. III.

Exposuimus quidem (§. II.) quosdam, sed non omnes, materiae perspirabilis fontes. Etenim per ductus quidem excretorios glandularum sebacearum et unguinosarum cutis inungitur, hoc vero fluidum passim quoque exsudat, neque minus per poros cutis, qui ad cellulosa ducunt, pilosque, humor expellunt. Vid. BOERHAAVE Epistol. ad RIVYSCHIVM data de glandul. fabr.

fabr. HALLER Elem. Physiolog. Tom. V. p. 39. seq. Sic ergo dubium non est, quin adeps fluidumque illud unguinosum ad producendam materiam perspirabilem cum aliis particulis (§. II.) confluant. Docet id etiam attenta obseruatio.

§. IV.

Qui cum his (§. II. III.) secretionis pariter atque excretionis leges, quas Physiologia stabilire amittit, confert, et ad specialem hanc applicat excretionem, is sine ulteriore demonstratione perspiciet, requiri ad eandem perspirationem

- I. moderatam sanguinis copiam et fluiditatem;
- II. motum sanguinis ad cutim et adfluxum neque magnum nimis, neque nimis paruum;
- III. constrictiōnē cordis moderaram (n. II.);
- IV. vasa cutanea, horumque truncos, imminuti aut deleti caui morbis non affectos;
- V. vasa secretoria et perspirantia peruvia;
- VI. absorptionem materiae ab aere perficiendam.

In his ergo una concurrentibus perspirationis causaē causſae lateant necesse est. Nam vel unico horum momentorum deficiente, perspiratio laedi debebit (per Physiolog.).

§. V.

Quum effectus sine causaē incremento increscere nequeat, sudor vero sit aucta perspiratio (§. II.): sequitur, causaē §. ant. enumeratas sudori quidem competere, verum quatenus sunt

sunt auctae, et ita scilicet, vt nulla ab earundem augmento obriatur caussa, quae excretionem impedit et sufflaminare valeret.

§. VI.

Sudoris itaque caussae ad sequentes generatim reuocari possunt (§. V.):

- I. Ad sanguinis nimiam resolutionem (§. IV. n. i. §. V.), ita vero contingentem, vt nihil abinde producatur, quod obstat, quo minus excretio fiat (§. V.), v. g. Spasmus, Tumor, etc;
- II. ad motum sanguinis versus cutim validiorem, hac tamen ratione, vt motus iste nullam sufflaminatae aut impeditae excretionis, cutaneae suppeditet caussam (§§. IV. V.);
- III. ad adfluxum sanguinis versus cutim maiorem, quatenus hic sine spasio, compressione, obstructione, etc. vasorum cutaneorum concipitur (§§. cit.);
- IV. ad cordis actionem vehementiorem (§. 10.), sine simili (n. II. III.) cutis vitio obortam (§. V.);
- V. ad laxitatem vasorum cutaneorum (§. 12.) ea minorem, quae excretionem supprimit (§. V.);
- VI. ad impeditam materiae perspirabilis ab aere perficiendam absorptionem (§. IV.), sine magno excretionis impedimento praesentem (§. V.).

§. VII.

Quum febris, vehementiore in massa sanguinis concitato motu, hanc resoluat, cordis porro motu validiore stipata incedat,

cedat, cutim etiam, superata resistentia, laxet, adfluxum praeterea sanguinis, laxata cute fortiusque corde moto, ad cutanea vascula efficiat, hisque tandem irritatis maiori cum vi sanguinem per eadem promoueat: *sudorem hinc febrilem generatim possibilem esse*, dubitare non poteris (§. ant.).

§. VIII.

Dum febris incipit, a peripheria versus centrum fluida ruunt, sive conditiones praedictae aut earundem effectus (§. ant.) minus obtinent (per Pathol.). Tunc itaque sudor febrilis contingere nequit. In altero autem febris stadio fluida non solum a centro ad peripheriam copiosius mouentur, sed oboriuntur quoque magis conditiones descriptae earumque (§. ant.) sequae. Sudor itaque febrilis tunc maxime appareat necesse est.

§. IX.

Sanguis, dum altero hocce stadio incipiente (§. ant.) versus resistentes adhuc canales propellitur curaneos, cuti, eminente sensibilitate praeditae, aestus sensum imprimit, aegris frequenter quam maxime molestum. Interea vero cor, resistentiam vasorum cutaneorum pati nescium, constrictiōnem earundem sensim tollit cutisque restituit laxitatem (per Pathol.). Pater non solum, alterum febris stadium in duo alia commode dispeſci posse, sed horum etiam priori minus, quam posteriori, sudorem febrilem sollemnem esse.

§. X.

Sub calore febrili obſacula nascuntur, quae impediunt, quo minus sudor erumpat (§. antec.). Quodsi itaque, praefente

sente febrili calore sudore diffluat cutis: opus est non tantum ut caussae sudoris adsint, sed ut ita etiam agant, ut ita inde impedimenta sudoris tollantur.

§. XI.

Huc vero (§. ant.) sequentes caussae generatim pertinēbunt:

1. *Actio cordis nimium exacerbata.* Dum enim maxima cum vi versus resistentes canales cutaneos (§. IX.) nititur cor, horum renisum facile superat, fluidissima exprimit atque expellit, et caussa euadit sufficiens sudoris sub calore febrili enati (§. X.).
2. *Sanguis valdopere resolutus.* Attenuatae enim sanguinis valdopere resoluti particulae non possunt non per adstricta vascula curanea (§. IX.) abire et sudorem elicere.
3. *Sanguinis nimium aquosa conditio.* Tunc enim abundantes particulae aquosae, calore magis attenuatae et resolute, eadem fere ratione, ut docuimus n. 2, vascula constricta permeant, copiosiusque in cute collectae, sudorem sub calore febrili efficiunt.
4. *Ingens vasorum cutaneorum laxitas.* Quo maior enim in vase, spasmo affecto, obtinet laxitas: eo minor erit, certis paribus, spasmi effectus. Quando itaque enormis laxitas sub febre cutim occupat: resistentia illa (§. IX.) minor erit, faciliusque fluida per vascula transiunt et sudorem sub calore febrili prouocant (§. X.). Hae sunt huius sudoris caussae generales, ad quas reliquae reduci comode possunt.

§. XII.

Actione cordis nimium quantum exacerbata redditur (§. XI. n. I.), quando sequentes potentiae agunt:

1. *Causa febris maxime intense agens.* Quaelibet febris causa, docente id Pathologia, ita agere debet, ut cor ad validiores excitetur motus. Quando itaque causa febris maiori intensitate actionem suam exserit; necesse tunc est, ut actione cordis nimium quantum exacerbetur, quod experientia etiam satis superque comprobat.
2. *Irritabilitas corporis maior.* Nam ex Pathologia cognitum habemus, irritabilitatem efficere, ut leuiores quoque stimuli enormes producant motus. In hac ergo corporis constitutione causa etiam febris leuior instar auctae aget (n. I.).
3. *Sensibilitas maior in corpore praesens.* Quum enim irritabilitas et sensibilitas arctum inter se alant commercium: cum sensibilitate irritabilitas quoque increaseret. Quae cum causa sit enormis in corde actionis (n. 2.): idem quoque de sensibilitate maiore dicendum erit. Sensibilitas propterea maior, sibi etiam reliqua, efficere potest, ut et cor et arteriae validius agant. Hinc eo minus de dictorum veritate dubitari potest.
4. *Alii stimuli, praeter causam febris, in corpore praesentes.* Quum enim causa febris nulla alia in re, nisi in stimulus haereat: haec ab aliis stimulus, in corpore simul praesentibus, maiora capit augmenta. Atque hinc sit, ut cordis actione nimium quantum intendatur.

§. XIII.

§. XIII.

Sanguis nimium quantum resolutur (§. XI. n. 2.)

1. *a putredine.* Quis enim est, qui nesciat, putredinem, in massa sanguinea obortam, eandem soluere?
2. *A caussis istis §. antec. descriptis.* Patet enim ex eorum consideratione, omnes esse ita comparatas, ut hinc actio cordis valdepercrescat. Quum iam ab actione cordis naturali massa resoluatur sanguinea: eo maiori in gradu haec resolutio contingere poterit, quanto vehementius motus huius visceris in febre intenditur. Quae cum ita sint, has caussas hoc etiam referri fas est.

§. XIV.

Nimium aquosam indolem sanguini inducunt (§. XI. n. 3.) quaecunque vel refinent excretiones serofas, vel ingurgitata nimio abundant principio aquoso, ita ut excretiones serofae eo, quo sunt naturaliter, moderamine perdurent. Vtique enim in casu aquearum particularum quantitas nimium quantum in massa sanguinea adaugetur. Ad hanc vero sudoris febrilis, sub calore febrili comparentis, eaussam, aliam ex parte referri posse censem, in febribus maxime sollemnem, *secessum* nempe *aqua*s* principii a crassamento.* Facile enim patet, quodsi incidat hic casus, eo ferme modo, quem diximus §. XI. n. 3, sudorem febrilem productumiri.

§. XV.

Hic (§. anteced.) vero secessus generatim producitur

1. *a stagnatione sanguinis;* sanguis enim quiescens in elementa sua abit.
2. *A debili cordis, pulmonum, viscerum aliorum et vasof-*

vasorum actione. Horum enim proportionata actio mixtionem in sanguine conseruat. Cessans itaque secessus aquae a crassamento, caufa euadit. 3. *A condensatione crassamenti, sufficiente tamen ei prius inexistente principii aquae copia.* Tunc enim aqueum principium expellitur, et aliud adfusum cum crassamento non commiscetur. Hinc reliquae eiusmodi secessus caufae (GAVBII Inst. Pathol. 321.) dijudicantur.

§. XVI.

Ingentis demum vasorum cutaneorum laxitatis (§. XI. n. 4.) sequentes existunt caufae:

1. *Nutritionis defectus.* Nemo enim non nescit, nutritionem solidis robur addere.
2. *Debilitantia interna et externa vasculis istis admota.* Acria varia, oleosa, pinguia, aquosa nimium quantum corpori inhaerentia, huc maxime reuocari debent.
3. *Vis vitalis defectus.* Tunc enim omnia laxari, docet animi deliquium.

§. XVII.

Qui hactenus dicta (§§. XI - XVII.) rite considerat, is intelliget, 1. *cur sudor sub calore febrili in febribus acutis compareat.* Resolutio enim, vis cordis intensa, sensibilitas et irritabilitas maior, acre varium et soluens, vel vt causa, vel vt effectus sub iisdem praefens, secessus aquae principii a crassamento condensato enarus, vis demum vitalis successiue deficiens, tot fere sunt caufae speciales, quarum actione febres acutae sudorem sub calore febrili producunt. 2. *Cur saepe saepius sit eiusmodi sudor enormis anxietatis effectus.* Etenim sub anxietate saepis-

faepissime vires cordis valdopere intenduntur; inde caussa eiusmodi sudoris, de quo loquor, exoritur (§. XI. n. 1.). 3. *Cur in lenta etiam et hecita fabre comparere queat.* Vis enim viralis, vna cum nutritione, demum cessat et aboletur (§. antec.). Plura ex antecedentibus conseq̄taria deducere possem. Sufficient vero haec, quae Pathologiae gnarus adaugebit.

§. XVIII.

Adumbraui haetenus caussas sudoris sub calore febrili erumpentis. Sequitur, vt ostendam, eas, relatas ad febrium genium, tales determinationes ponere, quae minus sunt salutares. Hoc enim euicto constabit, sudoris sub calore febrili eruptionem, respectu caussarum determinantium, minus esse salutarem. Omnem autem illam determinationem, sub febre praesentem, quae maxime salutari eius solutioni aduersatur, minus salutarem esse determinationem respectu febris, absque vila vleriori demonstratione hic assumi posse censeo.

§. XIX.

Intensiorem cordis actionem ad febrium maxime salutarem solutionem obtinendam summe esse necessariam, quemlibet concessurum esse credo. Norunt id omnes, qui, STAHLII etiam placentis non addic̄ti, iustum de naturae, bono sensu acceptae, moliminiibus iudicium ferre non recusant. Hi vero facile etiam cum aliis largientur, febrium euentum minus salutarem futurum esse, si vires naturae operantis vel deficiant, vel non supprimenda excedant, vel demum male dirigantur. Attendantus hoc in loco tantum ad cordis agentis excessum. Quam enormes hinc motus! Furibunda deliria, motus sanguinis non compescen-

pescendi, inspissationes non resoluendae, inflammations partium internarum horrendae, gangraenae, sphacelus, motus conuulsi, horumque omnium effectus, virium tandem subsequens resolutio, ab actione cordis nimium quantum sub febre exacerbata subnascentur. Quis queso non videt ex his, actionem cordis nimium quantum exacerbatam minus salutarem sub febre esse conditionem (§. anteced.)? Nihilominus sudor sub calore febri abinde exoriri potest (§. XI. n. I.), cuius ergo tunc causa minus erit salutaris.

§. XX.

Consideres dein, febrem primario in intensa cordis actione haerere et consistere, quod in Pathologia maxime ostenditur; hinc tantum augeri, quantum cordis actio increscit. Cor itaque, validissime sub febre agens, de grauitate et intensitate febris testatur. Intensitas vero morbi, minus salutaris sub morbo conditio est. Quando ergo sudor febrilis sub calore nascitur, idque ab intensa cordis actione: ideo etiam, quod ab intensitate oboritur febris, a minus salutari sub imperu febrili proficisciatur causa. Hinc autem ea, quae §. antec. adduximus, magis adhuc corroborantur clariusque elucescunt.

§. XXI.

Breuior ero in secundae causae insalubritate diiudicanda. Causa ista consistit in nimia sanguinis resolutione (§. XI. n. 2.), oriturque vel a putredine, vel a caussis ipsis, quae cordis actionem nimis intensam inducunt (§. XIII.). Si posterius, causa haec ex §§. XIX. XX. sufficienter diiudicari potest. Si prius: caussa sudoris in putredine haeret, de qua dubium non est, quin

quin et per se, et in febribus corpori humano maxime sit infesta. Quodsi ergo sudor a nimia massae sanguineae resolutione proueniat: causa huius sudoris certo certius erit insalubris et nocuia.

§. XXII.

Quod tertiam sudoris, sub calore febrili enati, attinet caussam (§. XI. n. 3.), haec duplificem sub se comprehendit (§. XIV.). Primo huc spectat sanguinis nimium aquosa indoles (§ XI. n. 3.), quae non ita frequenter sub febribus existit. Aquosum enim minuit vim vitalem, ex irritabilitate et sensibilitate compositam. Efficit hac ratione, ut subiecta minus febri, ex vis vitalis excitatione oriundae, obnoxia fiant. Interim obtinuit non nunquam, determinata in cachecticis febre. Illae ergo, quas adduximus, huius sudoris febrilis caussae, simul ostendunt insalubritatem. Quum enim torporem inducat: febrem nimium facile minuit; unde minor salus expectanda venit (§. XX.). Hinc ergo oriundus sub calore febrili sudor non poterit non a minus salutari caussa proficiisci.

§. XXIII.

Secundo (§. antec.) huc reuocari ex parte potest secessus aquei principii a crassamento (§§. XIV. XV.). Frequens sub febribus acutis conditio! Quum vero ab eiusmodi secessu fluidorum stases et immeabilitates pendeant, quarum prouentus sub febribus adeo est reformidandus: sudor quoque, ab ista secessione particularum pendens, a caussa minus salutari prouenire debet.

C

§. XXIV.

Ultima demum sudoris, sub calore febrili producti, causa generalis in nimia vasorum cutaneorum laxitate quaerenda erit (§. XI. n. 4.). Haec a nutritione vique vitali deficiente enara (§. XVI. n. 1. et 3.), procul dubio est insalubris. Mortem enim febrentium accelerat. Quod debilitantia interna attinet (§. XVI. n. 2.): haec, frangendo vires corporis, salutari febris solutioni adversantur. Sudor consequenter, abinde proficiscens, a salubritate valde est remotor (§. XVIII.). Relaxantia demum externa, cuti male adplicata, emolliendo aut debilitando humores ad cutim alliciunt, stases eorum, exanthemata, aliqua que producunt, quae omnia minus salutares sub febre ponunt conditiones. Quare et haec sudoris, quem dico, causa minus est salutaris.

§. XXV.

Ex dictis §§. XXIII. XXIV. ergo elucefcit, sudoris sub calore febrili eruptionem a causis proficisci, quae a salubritate maxime sunt in febribus alienae. Quamuis autem hinc satis iam eiusmodi sudoris eruptionem minus salutarem esse pateat: aliud tamen de eius insalubritate differendi sepe aperit campus, quando ad effectus, quos excitat et ingenerat, attendimus. Age igitur B. L. mecum effectus hosce, quos talis prouocat sudor, eorumque sequelas perpendas!

§. XXVI.

Sudor, ex Physiologorum demonstratione, ex aquosis, oleosis, terreis et salinis constat particulis, ita tamen, ut eidem maxima aquarum particularum quantitas insit. Sudor itaque, sub

sub calore febrili erumpens, ex omnibus ipsis quidem, maxime tamen aquosis, particulis constabit. Quoniam autem sudor auctiorem per habitum cutaneum supponit excretionem, quam perspiratio (§. II.): sequitur, sudorem multo maiorem etiam, quam perspirationem, expellere particularum aquosarum quantitatem. Est idcirco sudoris, sub calore febrili erumpentis, effectus, quod aqueum principium, in massa sanguinea delitescens, sub calore febrili magna et tanta in quantitate eiiciat, quanta cum statu sanitatis generatim consistere nequit.

§. XXVII.

Notum est ex Physiologia, humorum nostrorum fluiditatem aqueis particulis, cum crassamento eorundem commixtis, deberi. Vnde concludimus, omne id, quod nimium particulas aquae expellit, inspissatae massae sanguineae existere caussam. Nunc sudor, sub calore febrili accedens, insignem eiicit particularum aquearum quantitatem (§. antec.). Dubium idcirco non est, quin eiusmodi sudor massam sanguineam facile inspisset. Accedit huic inspissationi caussa alia, e caloris natura desumpta. Calor, ut per experimenta constat, fluida nostra et resolut et inspissat, atque hoc in primis, quando vel ab ipso calore particulae aquae dissipantur, vel prius iam earum penuria adfuit. Quum ergo ex ante dictis constet, ultimum hoc facile a sudore, sub calore febrili prorumpente, contingere, fiet hinc, ut accedens tunc calor febrilis priorem inspissationis massae sanguineae caussam magis adhuc adaugeat cum ipsa inspissatione. Quae cum ita sint, nouus inde sudoris, sub calore febrili producti, effectus innescit.

C 2

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Fluida inspissata immeabilia redduntur, eorumque acre, diluente aqua orbatum, facilis irritat et rodit (per Pathol.). Nunc a calore febrili, accidente sudore, fluida inspissantur (§. anteced.). Sudor itaque, sub calore febrili enatus, fluida immeabilia, atque, praesente simul acri, magis irritantia et rodentia reddit. Habes hic alium sudoris descripti effectum, satis certe momentosum.

§. XXIX.

Fluida inspissata subsequentes excretiones impediunt, demonstrante id Pathologia. Sudor, sub calore febrili erumpens, fluidorum inspissationem facile inducit (§. XXVII.). Tunc ergo simul efficiet, ut excretiones subsequentes impediantur. Retinebitur itaque, ob eandem caussam, quidquid forsitan inimicum massae sanguineae inhaeret. Quod ergo iure effectibus febris huius sudoris adnumeratur.

§. XXX.

Sudor erumpens vascula cutanea facile relaxat: supponit enim materiam perspirabilem, maiori in copia per haec vascula transeuntem. Nunc lympha, ob minorem horum vasculorum diametrum, in statu naturali retinetur. Quam facile itaque fiet, ut, relaxatis nimium vasculis cutaneis, illa exeat. Cui rei si calor adhuc accedat, lymphae exirus eo minus difficilis erit. Calor enim resoluit: vtraque vero caussa agit, quando sudor sub calore febrili adparet. Iste ergo efficere potest, ut ipsa lympha cum materia perspirabili exeat. Pori, in epidermide paruli et ad cellulofam ducentes subcutaneam (§. III.), cui lympha quo-

quoque cum adipे in statu naturali infertur (per Physiolog.), ut et pili perspirantes, quorum radix in cellulosa est, eodem modo, ut vascula cutanea, lympham in casu proposito transmittere possunt. Quanto facilior vero iste erit effectus, quando iam ante sudorem laxitas aut resolutio exstitit.

§. XXXI.

Quum lymphae excretio corpori humano insignem inferat debilitatem; sudor vero, praesente calore febrili accedens, lymphae excretionem efficere queat (§. anteced.), cognoscitur hinc, eandem insignis debilitatis caussam possibilem existere. Vnde nouus illius innoteſcit effectus, pro intensitate, complicazione et duratione cauſarum supra dictarum, maior minorue.

§. XXXII.

Effectum horum, a nobis adductorū (§§. XXVI. seq.), noxa sine difficultate innoteſcit, quam primum eosdem ad febrium naturam geniumque referre libuerit. Atque hic quoque ut supra de cauſis monui (§. XVIII.), omnis ille huius sudoris effectus minus salutaris erit, qui efficit, ut conditio corporis sub febre nascatur, huius maxime salutari solutioni aduersa. Quod ergo de recentiis sudoris, sub calore febrili prorumpentis, effectibus ostendendum est.

§. XXXIII.

Immeabilitatem fluidorum, quam inter effectus eiusmodi sudoris posuimus (§. XXVIII.), febrium maxime salutari solutioni aduersari, dubitari vix potest. Quum enim abinde stases, congestiones, obſtructiones, infarctus, motuum suppressio,

acrimoniae exacerbatio, morborum tam acutorum, quam chronicorum caussae, oriantur (per Pathol.); hac vero ratione soluta febris minus salutariter solvatur; dubium non est, quin talis huius sudoris effectus, relatus ad febrem, minus salutaris dicendus veniat. Confer. Perillostr. van SWIETEN *Comment.* in *Aporism. BOERHAAVII*, Tom. II. §. 609 et 716. Cognoscetis hinc, istam immeabilitatem tollere, in potestate Medici non semper esse positum, dum nempe vel nimis cito truculentos suos exsprit effectus, vel remediis nimium obstat.

§. XXXIV.

Blandiorem fluidorum corporis humani constitutionem febrium maxime salutari solutioni egregie inseruire, inter omnes constat. Quem enim fugit, hinc salubres excretiones, sub febribus adparentes, adiuuari? Quis est, quin sciat, hinc innumerata febribus metuenda, damna praecaueri? Quo magis itaque in febribus a blandicie sua recedunt fluida: eo grauior noxa metuenda erit. Quare etiam omne id, quod aut generat, aut exacerbat fluidorum acrimoniam, nocium exferit effectum. Nunc sudor, sub calore febri productus, acrimoniam exacerbat (§. XXVIII.). Erit ideo quoque necesse, ut eiusmodi sudor malum minusque salutarem excludat effectum. Conf. GAVBIUS 1. cit. §. 306.

§. XXXV.

Excretionum suppressio, sudoris sub calore febri enati effectus (§. XXIX.), maxime erit damnoſa. Quod ut patet eo facilius, ex Pathologia signorumque doctrina quedam erunt praemittenda. Omnis febris oritur vel a materia sanguini in-

exi-

existente, vel non. Prius docent continentes, biliosae, catarrales, inflammatoriae, lentaæ et hecticae, exanthematicae, variae intermittentium species. Posteriori euincunt febres, ex actione neroiorum intensa solum productæ. Illeæ procul dubio salutariter solui nequeant, nisi materia ista, sanguinis massæ tunc inhaerens, tamquam febris cauſa, expellatur, fiat hoc, vel producta haemorrhagia, vel excretionum serofarum augmento. Hæ vero, utpote motum sanguinis exacerbatum, ut reliquæ febres, postulantæ, non poterunt non blandam fluidorum nostrorum naturam peruertere, acre atque olei corruptionem inferre. Ne ergo, his productis, noua febris exsurgat cauſa: opus in his quoque febribus est, ut excretiones, cutanea potissimum et vrinae, vigeant. Omnis itaque febris, salutariter soluenda, requirit, ut naturales excretiones fiant, quibus vel febris cauſa, vel febris effectus, corpori inimicus, commode eiici queat. Quicquid ergo, ut hæ contingant, non permittit, illud conditio erit, quæ, relata ad febrem, mala erit minusque salutaris (§. XXXII.).

§. XXXVI.

Verum enim vero salutaris maxime febrium solutio non tantum requirit, ut istæ excretiones vigeant (§. anteced.), sed postular praeterea, ut materia excernenda, quæ febrium vel cauſa, vel effectus est (§. anteced.), ante sui excretionem præparata sit, seu cocta. Quum enim experientia doceat, excrementitiam eiusmodi materiam modo nimis spissam, modo nimis acrem, modo nimium inuoluram esse, quam ut congrue eiici possit: sequitur, optimam febrium solutionem non tantum excretionum, serofarum potissimum, vigorem, verum materiæ quoque eliciendæ modo resolutionem, modo inuolutionem,

modo

modo denique a nexu particularum reliquarum qualemcumque separationem, i. e. praeparationem et coctionem requirere. Vera haec esse, tam ex accuriori febrium consideratione, quam ex signis virinae, quae coctionem salutaremque febrium solutionem indigitant, eluceat. Quae vero cum ita sint, excretionis febrilis quaecunque, non praegressa materiae morbosae coctione contingens, minus erit salutaris, atque id sane eo magis, quo minus dein, facta eiusmodi excretione, ob liquidorum defectum, et subactio coctioque materiae, et subsequens excretionis liquida necessario postulans, fieri queat. Hinc vero simul cognoscitur, nullam salutarem febrium excretionem eo tempore contingere posse, quo maxime opus est, ut coctio materiae iniunctae a viribus virae suscipiatur.

§. XXXVII.

Coctio materiae febrilis sub calore febrili imprimis perfici debet (per Pathol.). Nam tunc maxime vires vitae intenduntur, resolutio, combinatio, nouaque mixtio materiae efficiuntur. Natura et causiae caloris febrilis haec manifesto docent. Omnis ergo excretionis febrilis, sub calore febrili adparens, erit minus salutaris (§. anteced.). Verum eruptio sudoris sub calore febrili erit eiusmodi excretionis. Ergo non poterit non esse insalubris. Sed docendum quoque est, talem sudorem ideo quoque corpori febrienti nocium esse.

§. XXXVIII.

Quum nempe, priore vigente febris studio, sudor adparens nequeat, sub calore vero febrili erumpens minus salutaris sit (§§. XXXVI. XXXVII.): sequitur, eum tantum salutarem esse

esse posse, qui finito calore febrili accidit. Hunc vero supprimit sudor sub calore febrili contingens (§. XXIX.). Quamobrem quam maxime nocius esse debet (§§. XXXV. XXXVI.). Fit inde, ut eiusmodi sudor ad pessimos istos morbos aegrum diffonat, qui a rerenta materia febrili originem suam sumunt, siue nunc chronici fuerint, siue acuti.

§. XXXIX.

Quum denique febris salutariter soluenda corporis vigorem requirat; sudor vero, sub calore febrili productus, vires nimium quantum prostertere valeat (§. XXXI.): hic quoque eiusmodi sudoris effectus conditio erit, ad febrem relata, minus salutaris. Quantum enim de robore, tantum etiam de vita humana decedit.

§. XL.

Ergo, ut ex hac tenus dictis constat, sudor, sub calore febrili manans, tam quoad caussas (§§. XVIII.), quam quoad effectus suos (§§. XXXII. seq.), excretio erit febrilis minus omnino salutaris. Quam bene, quam egregie haec cum Veterum monumentis et obseruatis conspirant! Considera mecum, ut antea dicta corroborem, ea momenta, quae Medici isti ad sudoris febrilis salubritatem requirunt: videbis, quantum ab ipsis sudor ille febrilis, de quo hac tenus locuti sumus, recedat. Sudor febrilis salutem adferens, debet 1. a *peracta materiae coctione continere*. Sudor vero is, quem delineauimus, non tantum peracta coctione non contingit (§. XXXVII.), sed eandem quoque quam maxime impedit (§. XXXVI.). 2. *Leuamentum morbi adferre, aut morbum plane tollere*. Neutrum fit ab isto sudore, quem diximus. Morbum aut eius effectus auget et facilitat, atque id ipsum, quod leuamentum adferre posset, sufflaminat, impedit, retardat (§. XXXVIII.). 3. *Non oriri debet a corporis debilitate*. Verum sudor sub calore febrili fieri abinde omnino potest (§. XI. n. 4. §. XVI.). 4. *Non pendere debet ab inflammatoris grauitate*. Sudor vero hic nonnumquam hinc originem suam sumit (§. XI. n. 1. §. XV.). 5. *Non frigidus et viscidus esse*

D

esse debet. At sudor haec tenus consideratus vtrumque esse potest. Viscidus quidem, ob lympham et adipem abeuntem (§. XXX.); frigidus autem, quando, vt haud raro in febribus sit impetuofis, interiora vruntur, exteriora frigent. 6. *Toto corpore manare debet.* Sed sudor sub calore febrili facile tantum sit particularis, quando ab eius caussis (§. XI.) oritur in partibus nonnullis gravior distensio, vnde extremonrum strictura proficiscitur. Ex his, credo, manifestissime adparet, quam egregie Veterum obseruata cum haec tenus euictis conspirent.

§. XLI.

Symptomaticum a Medicis nonnumquam vocatur accidens in morbis, quod nocinum est. Nunc docuiimus haec tenus, sudorem, sub calore febrili accidentem, esse nocium. Erit itaque nil, nisi *sudor symptomaticus.*

§. XLII.

Praetica nonnulla hisce addenda erunt. Quum sudor, sub calore febrili proueniens, sit symptomaticus et nocivus (§§. XL. XLI.); Therapia vero requirat, vt symptomata nociva tollantur et refrænentur: dubium non est, quin sudor haec tenus consideratus sui medelam postulet. Huc vero *tres Indicationes* faciunt, quas exsequi Medicum oportet. Requiritur nempe

1. vt caussae huius sudoris minuantur, quantumque fieri potest tollantur;
2. vt effectus, abinde pendentes, tollantur, vel minuantur;
3. vt praecaeatur, ne quidquam nascatur in corpore, quod huius sudoris caussas de nouo suscitare posset, sed omnia potius ita dirigantur, vt sudor iste sub calore febrili imminuat.

§. XLIII.

Quod *primam Indicationem* attinet, caussarum, eiusmodi sudorem determinantium, ratio habenda erit (§. anteced.). Si ergo I. cordis actio nimium quantum exacerbata fuerit (§. XI. n. 1.): duo agenda erunt a Medico curam gerente, nempe

1. *Actio cordis minui debet.* Huc pertinent acida blandiora, temperantia, demulcentia, potus diluentes; hinc nitrofa, syru-

syrupi aciduli, aquosa non calida, acido et melle remixta aliaque plura.

2. *Causae remotae intensae huius actionis tolli aut minui debent.*
Huc iraque Venaesectio, antifebrilia satis nota, et, pro februm differentia diuersa, stimuli actionem miauentia, etc. referenda erunt.

Commendantur quidem a nonnullis, ad imminuendam cordis actionem, immo ad ipsam sudoris suppressionem obrinendam, opata. Verum haec, ut solide celeberr. TRALLEZ docuit, non solum non imminuunt cordis actionem, sed etiam intendunt. Praeterea sibi relicta vehementer sudorem producunt, ut idcirco minus ad eum scopum facere videantur. Haec ergo omitienda esse censeo.

- II. Si nimia sanguinis resolutio adfit (§. XI. n. 2.): haec tollenda et imminuenda est. 1. *incrassantibus lenioribus*, v.g. mucilaginosis, syrupis, etc. 2. *Remedis ad num. I. adductis*. Nam dictum est §. XIII. n. 2. nimiam sanguinis resolutionem ab intensa cordis actione prouenire posse. 3. *Antiputredinosis* (§. XIII. n. 1.), quorsum acida, nitrosa, cortex Peruuianus, iacraffantia leniora referenda erunt.

- III. Si nimium aquosa sanguinis indoles, vel secessus particularum aquearum a crassamento caussa fuerit (§. XI. n. 3.): tunc priori in casu *roborantia* adhibeantur, vt pote quae efficiunt, ut in cachecticis corporibus abundantia aquae humoris imminuat. Martialia cum Corrice Peruuiano hoc referantur. In posteriore vero casu *cum blandis resoluentibus roborantia* usurpentur, *potusque diluentes* sufficienti in copia hauriantur. Haec, si quae alia, perniciosum istum secessum, huius saltim effectus, tollere possunt. Quod praeterea et hic ad canissam secessus attendere debeamus, et pro huius differentia alia atque alia remedia adhibere Medicum oportear, vel me non monente quilibet percipere potest.

- IV. Si vasculorum demum cutaneorum laxitas nimia adfuerit (§. XI. n. 4.): huic obuiam ire debemus 1. *roborantibus*; 2. *nutrienu-*

trientibus (§. XVI. n. 1.); 3. excitantibus (§. XVI. n. 3.), frictione, Vesicatoriis, etc; 4. evitatione omnium eorum, quae externe adplicata aut admota relaxant (§. cit. n. 2.); 5. acre oboluuentibus et aquosum immiuuentibus (§. XVI. n. 1.). Haec ad reliquas laxitatis cauñas sanandas adplicari possunt.

§. XLIV.

Indicatio secunda postulat (§. XLII.), vt effectus huius sudoris nocui, quantum fieri potest, tollantur et immiuuantur. Immeabilitati fluidorum obulam itur remediis, quibus in secessu particularum utimur (§. anteced. n. 3.). Acre temperatur oboluuentibus, diluentibus, anteputredinosis (§. XXVIII.). Excretiones sufflaminatae restituuntur diluentibus, congrue usurpati (§. XXIX.). Debilitas demum minuitur nutrientibus (§§. XXIX. et XXX.). Haec itaque cum praecedentibus (§. ant.) combinari possunt.

§. XLV.

Indicatio demum tertia (§. XLII.) adimpletur, 1. evitatione rerum omnium externarum, quae nimium relaxant, irritant, putredinem motumque sanguinis augent (§. XI. seqq.). Calor itaque externus nimius et mediocritate superior, remedia calida et spirituosa, cibi aromatibus multisque salibus conditi, aliaque plura evitari debent. 2. Regimine temperato et diaeta refrigerante, roborante, putredini et acrimoniae aduersa. Horum specialia tam ex §. anteced. quam ex Diaetetica sufficienter patent.

§. XLVI.

Generatim saltem de Therapia sudoris, sub calore febrili erumpentis, locutus sum. Non miraberis itaque, Lector benevolle, me huc et illuc remedia adduxisse, quae huic vel illi febrium speciei minus respondent. In his ergo casibus exceptions facienda erunt, quae ut inueniantur, aptum Medici requiriunt iudicium. Generaliora dixisse mihi sufficit.

T A N T V M.

00 A 6283



SL

Ratko ✓

DIS
PAJ
VOL



DE
S V D O R I S
S V B C A L O R E · F E B R I L I
M I N V S S A L V T A R I E R V P T I O N E

BENIGNITER ANNVENTE SVPREMO NVMINE
 EX AVCTORITATE GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
 IN REGIA FRIDERICIANA

P R A E S I D E

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,

POTENTISSIMI PRUSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,
 MEDICINAE ET PHILOSOPH. NATVR. PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
 FACVLT. MEDICAЕ SENIORE, REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,
 IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAE-
 SIDE, ET REGIAR. SOCIET. SCIENTIAR. ANGLICAN.
 BEROLINENS. ET MONSPELIENS. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS

SOLLEMNITER CONSEQUENDO

DIE XX. APRIL. A. R. S. cIc Ic CCLXV.

H. L. Q. S.

PVBLINE DISPVTABIT

AVCTOR

IOANNES CHRISTIANVS WICHVRA,

BICINA-SILESIUS.

HALAE AD SALAM

STANNO CVRTIANO,

